

Ms

dominica

in octava

pasche tit

Ms

Nh
1236

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

DL 7

XVII.
DE COENA DO-
MINI

THESES

DE QVIBVS PVBLICA DISPVTATIO
instituetur in Academiâ VVitebergensi
A. D. 1 x Junii, loco consueto, horis
matutinis,

PRÆSIDE

*WOLFGANGO FRANZIO, PLAVENSI,
SS. Theologiae Licentiato,*

Respondente

M. SALOMONE BLECHSCHMID, CURIENSIS
Voitlandis.



VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii
M. D. XCVIII.

DE COEVA DO
M M I

TRIN

DE DEITVS PABRICA DISPVT
in theologia V. Neoburg
A. D. 1711. loc. conueto, hora
matutina.

TRIN

JOHANNES FRANKO, RABEN
S. Theologiae Licentia

TRIN

JOHANNES BERNHARD, CHRIS
Vollandis.



TRIN

JOHANNES GRENBERGII
M. D. XVII.



THESES

DE COENA DOMINI.

I.

VT felicior esse possit mysterii de cœna Domini meditatio & usus, ad duo præcipuè cogitationem referre decet, quæ sunt, *δόσις ἢ λήψις*, ut nimirum constet, 1. quid nobis in cœna Domini exhibeatur, 2. & quomodo illud à nobis accipiatur.

II.

Utrumque illud verbis sacrosanctæ institutionis Domini clarissimè expressum esse videmus.

III.

Primò enim non tantùm panis & vini, nec tantùm corporis & sanguinis Christi mentionem verba Institutionis faciunt, sed cum pane simul corpus Christi, & cum vino simul sanguinem ipsius manifestè promittunt.

IV.

Δόσις igitur duo complectitur, 1. partes Sacramenti cœnæ duas, terrenam & cœlestem; 2. unionem sacramentalem illarum duarum partium.

V.

Deinde cum de communicantibus expressè testificetur Institutio, eos illa omnia **EDERE & BIBERE**, & verò non nisi ore edere & bibere possimus; utique non fide, sed ore tantas res accipi, non quidem crasso modo, sed juxta formam testamenti & mysterii, & omnino non tantùm à paucis, sed ab omnibus, longè apertissimum esse, credendum est.

VI.

Λήψις igitur etiam duo complectitur: 1. modum manducationis, 2. convivas varios, tum dignos, tum indignos.

A 2

INITIO

VII.

ſortis
1. De par-
tibus Sa-
cramenti
cœnæ.

INITIO firmiter ſtatuendum eſt, eſſe duas res in cœ-
na, terrenam, & cœleſtem, hoc eſt, 1. panem & vinum, tan-
quam externa ſymbola, incurrentia in oculos, & alios ſen-
ſus externos, expreſſo verbo Chriſti ad hanc actionem or-
dinata: 2. deinde verum & ſubſtantiale corpus, & verum at-
que ſubſtantialem ſanguinem Domini, tanquam pretioſiſſi-
ma pignora, pro ſalute omnium hominum Deo Patri in arâ
crucis oblata.

VIII.

Neque enim ſomniandum eſt, ſubſtantiam panis & vini
in actione cœnæ Dominicæ per annihilationem quandam
evaneſcere, & ſub ſolis accidentibus panis & vini reſiduis ſe-
ſe inſinuare & localiter deliteſcere ipſum corpus atq; ſan-
guinem Domini, ſicut ignis in candenti ferro localiter con-
tinetur.

IX.

Simile eſſet hoc ſomnium ſuperſtitionibus Chaldæo-
rum & Perſarum, qui ſigna vetuſtiſſimæ Eccleſiæ converte-
bant in Numina ſeu Deos, & Ignem fingebant eſſe ipſum
Deum, quia audiverant igni delapſo ex cœlo incenſas fuiſ-
ſe victimas.

X.

Neque etiam fingendum eſt, abſentis Chriſti corpus in cœ-
na tanquam in tragœdiâ ſaltem repræſentari, nec ullam eſſe
veram & realem corporis Chriſti præſentiam cum pane hic
in terrâ, ubi cœna Domini celebratur.

XI.

Hoc modo ſacraſſima Domini cœna tantum eſſet ex-
ternum ſpectaculum, & ſignum confeſſionis & diſtinctionis
Eccleſiæ, atque ritus ſeu ceremonia mutuæ dilectionis in-
ter convivas, ſimilima profanis domesticarum epularum ſo-
lennitatibus.

XII.

Cum autem Apoſtolus I. Cor. 10. aliquoties expreſſè no-
minet PANEM, etiam in ipſiſſimo uſu ſeu diſtributionis a-
ctu, & de illo pane manifeſtè dicat, I. Cor. 10. quod ſit com-
muni-

municatio corporis Christi, necessariò sequitur, aliud tunc esse panem, aliud corpus Christi.

XIII.

Deinde, cum idem Apostolus I. Cor. 10. actionem cœnæ Dominicæ expressè nominet communicationem corporis & sanguinis Christi, utique in actu sumtionis non nuda symbola, sed unà cum symbolis hîc in terrâ, ubi cœna peragitur, verè & realiter corpus & sanguinem Christi (sine tamen locali aliqua mole & circumscriptione & inclusione) præsentia esse, & vescentibus distribui, firmissimè concluditur.

XIV.

Habemus etiam alia argumenta, cur occlusis rationis & incredulitatis humanæ oculis simplici & constanti fide sacrosanctum hoc mysterium & $\rho\alpha\tau\omega\sigma$ amplecti debeamus, quòd Christus nobis hîc in terrâ corpus suum & sanguinem suum non modò dare velit, sed etiam dare possit.

Argumenta, quòd Christus velit nobis dare corpus & sanguinem suum.

XV.

Cum enim hæc ipsa sententia de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Christi cum pane & vino hîc in terrâ, non modò cum nullo articulo Fidei Christianæ $\beta\omega\lambda\omega\varsigma$ & revera pugnet, sed etiam invictis fundamentis & promissionibus sacrarum literarum innitatur, omnino nullam causam videre possumus, cur non $\rho\alpha\tau\omega\sigma$ & proprietatem verborum testamenti Domini retinere debeamus.

XVI.

Etsi igitur Sacramentariorum opinio nostræ rationi concinna, altera verò absurda & impossibilis, & aliis Fidei articulis & scripturæ testimoniis adversa esse videtur, quasi nulquam nisi in cœlo sit Christus, & quasi sedeat uni affixus loco; tamen quia de ipsius præsentia etiam alias extare promissiones videmus: Ero vobiscum usque ad consummationem sæculi, omnino sicut Abraham fide illud de Isaac mandando mandatum (etiam ipsi promissioni de benedicto se-

mine ex Isaac nascituro contrarium) ita nos firmâ fide has
rationis antinomias vincamus.

XVII.

Argumen-
ta pro re-
tinendo
ῥῆτῶ.

1.

Ac i. sufficiat nobis ad fidem sola institutio, quæ in ver-
bo Dei recitatur, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.
sufficiâtque nobis ad fidem sola persona DICE NT I S Do-
mini nostri Iesu Christi, juxta vocem æterni Patris de cœlo
sonantem: Hunc audite.

XIX.

Is enim de pane benedicto, quem discipulis suis porri-
gebat, testatur, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tra-
ditur, & de calice seu vino dicit, Hic est sanguis meus novi
testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem pecca-
torum.

XIX.

Si verbum Dei ab hoc Sacramento removeris, aut absq;
verbo divino illud considerare volueris; verum est, quòd
præter panem & vinum nihil sis habiturus.

XX.

At si verbum cum Sacramento retinueris, id quod o-
mnino fieri decet, tum Sacramentum illud revera erit hoc,
quod ipsa verba testantur, nimirum, verum & essentialis cor-
pus, atque verus & essentialis sanguis Domini nostri Iesu
Christi.

XXI.

Et ne nobis offundere præstigias & ambiguitates tan-
quam ænigmata sphingos, & velut pomum Eridos objicere
videretur, testamenti sui seu Institutionis verbum eodem
tenore à tribus Evangelistis describi, & in ipsâ gloriâ ad
Paulum Apostolum eodem modo ipse repetere, nec aliter
declarare voluit.

XXII.

Cùmque temerario ausu in principali disputatione
contra τὸ ῥῆτῶρ auctoris & testatoris nemini hominis testa-
mentum pervertere impunè liceat; nihil absurdius excogi-
tari posset, quàm si Filii Dei, & λόγῶ, atque Oratoris æterni
Patris

Patris

Patris ultima verba protervè rimari, & contra sensum genuinum detorquere liberet.

XXIII.

Necessariò etiam oportet esse formam & differentiam aliquam cœnæ *εὐσαλκή*, ut in scholis loquimur, καὶ δια-
γενή, ex qua proprium aliquod in cœnam Dominicam derivetur, quod nullis aliis actionibus Ecclesiasticis atque Sacramentis veteris & novi testamenti competere possit.

XXIV.

Sublatâ verâ & reali præsentâ essentialis corporis & sanguinis Christi cum pane & vino ex cœnâ Dominicâ hîc in terris celebratâ, nemo non videt, nihil, nisi in externis quibusdam exiguis circumstantiis, restare discriminis inter cœnam sacram Domini, & inter cœnas nostras domesticas.

XXV.

In cœnâ domesticâ multi fratres & amici de uno pane participant, & (juxta illud Apostoli 1. Cor. 10. Sive editis, sive bibitis, omnia in nomine Domini facite) cum gratiarum actione, tum præsentium, tum aliorum beneficiorum Domini meminerunt, seq; piis colloquiis exhilarant, & in fide & bonis operibus confirmant.

XXVI.

Sublatâ item verâ & reali præsentâ veri & substantialis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi cum pane & vino in cœna Domini hîc in terris celebratâ, nihil itidem, nisi in externâ temporis circumstantiâ, relinquetur discriminis inter poculum Judaicum, & poculum Christianorum.

XXVII.

Talem quidem analogiam Sacramentorum veteris & novi testamenti docet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 14. § 23. dū inquit: Scholasticum illud dogma, quo tam longum discrimen inter veteris & novæ legis Sacramenta notatur, perinde

de ac si illa non aliud quàm Dei gratiam adumbrârint, hæc
verò præsentem conferant, penitus explodendum est. Hæc
Calvinus.

XXVIII.

Obiect. I.
ex I. Cor.
10.

Addit autem hujus suæ opinionis causam hanc: Siqui-
dem nihilo (inquit) splendidius de illis Apostolus, quàm de
his, loquitur, quum docet, patres eandem nobiscum spiritua-
lem escam manducasse, & escam illam Christum interpreta-
tur. Et mox: Quicquid ergo nobis hodie in Sacramentis ex-
hibetur, id in suis olim recipiebant Iudæi, Christum scilicet
cum spiritualibus suis divitiis. Hæc iterum Calvinus.

XXIX.

Resp.

Verum manifestè falsum est, quod dicitur, Apostolum
docere, patres eandem nobiscum escam spiritualem man-
ducasse, siquidem primò vocabulum NOBISCUM, in quo
debet esse nervus totius argumenti, in textu non est expres-
sum: deinde non fit ibi collatio æqualitatis vel inæqualita-
tis Christianorum, & Iudæorum in Sacramentis, sed tantum
in peccatis æqualibus æquali severitate punitis.

XXX.

Splendidis quidem verbis idem Calvinus lib. 4. c. 17.
§ 5. & sequentibus idem, quod nostræ Ecclesiæ, docere vide-
tur; quòd manducare carnem, & bibere sanguinem Christi
non sit idem, quod credere in Christum, vel intelligentiã
duntaxat ac imaginatione Christum concipere, sed aliquid
sublimius, nempe verã Christi participatione vivificari.

XXXI.

Addit & illud, quòd manducare carnem Christi, &
bibere sanguinem ipsius, non sit tantum Spiritus participem
fieri, præteritã carnis mentione, sed ipsius substantiæ parti-
cipatione in bonorum omnium communicatione virtutem
quoque sentire.

XXXII.

Sed ex his, quæ de analogiã Sacramentorum veteris &
novi testamenti ex ipso brevissimis verbis prolata sunt, ma-
nifeste

nifestè constat, ipsum veram & realem præsentiam carnis & sanguinis Christi cum pane & vino in terris, ubi cœna Domini à Christianis celebratur, nullo modo admittere.

XXXIII.

Quòd autem τὸ ἕκτον in verbis cœnæ Dominicæ strictè non sit observandum, aliqui ex sexto capite Iohannis evincere conantur, ubi Christus inquit: Caro non prodest quicquam, Spiritus est, qui vivificat.

Obiect. 2.
ex Ioh.
6. cap.

XXXIV.

Habent pro se testimonia quorundam veterum Patrum, qui accommodârunt textum Iohannis ad cœnam Domini, quia ibi dicitur, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, & quia in cœnâ Domini similiter dicitur de distributione carnis & sanguinis.

XXXV.

Hinc est, quod etiam Gerson disputat de his, qui contenderunt, infantibus dandam esse cœnam Domini, & dixerunt, se moveri his verbis, significantibus necessitatem: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.

XXXVI.

Sed non potest concio hujus sexti capitis vel de ceremoniâ cœnæ Domini, vel de ceremoniali manducatione intelligi, quia Christus ipse præfatur, se agere velle de fide, qua credimus, placatam esse iram Dei morte Filii, corpus suum offerentis pro nobis, & sanguinem suum fundentis.

Responsio

XXXVII.

Et hanc doctrinam de passione suâ, & de fide, passionem Domini apprehendente, in spirituali manducatione hujus Agni ibidem inculcat Iudæis, qui prorsus alias habebant opiniones de Christo, nec cogitabant, eum passurum esse, nec sciebant, donari reconciliationem propter ipsum, sed habebant sua somnia de imperio mundano.

B

Dum

XXXVIII.

Dum igitur eo loco abrumpit disputationem, ac redit ad collationem Euangelii ac sapientiae humanae, dicit, carnem, hoc est, carnalem imaginationem de manducatione, & carnales opiniones de Messia, nihil quicquam prodesse.

XXXIX.

Hoc etiam est, quod alibi dicitur, 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei. Econtra vero Spiritus vivificat, id est, lumen & motus Spiritus sancti, qui per Euangelium est efficax, sunt inchoatio vitae, ut dicitur: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei.

XL.

Argumentum, quod Christus possit nobis dare corpus & sanguinem suum.

Et vero realem & veram corporis & sanguinis ipsius praesentiam cum pane & vino hic in terra, ubi coena Domini a Christianis celebratur, Domini nostri Iesu Christi ascensio in coelum impedire nullo modo potest.

XLI.

Ascendit quidem in coelum corporali & visibili locatione quadragesimo die post resurrectionem suam, sed tamen simul collocatus est ad ipsam dextram aeterni Patris sui, ut in illa (non extra illam) omnibus creaturis ubique locorum praesentissimus; etiam secundum humanitatem (sed sine omni diffusionem de loco uno in alterum) adesse, & ex illa sede majestatis praesens dominari omnibus creaturis possit.

XLII.

Toti enim λογος unita est caro Christi, quia λογος non potest dissecari in partes; nec habet ullam partem extra partem.

XLIII.

λογος totus est in omnibus locis citra omnem extensionem, & est totus in quolibet loco sine omni inclusione: est super omnia, non tamen elatus; subter omnia, non prostratus; intra omnia, non conclusus; extra omnia, non exclusus, ut contra Bullingerum pulchre loquitur Brentius.

λογος

XLIV.

Λόγος item mirabili & imperscrutabili modo manet intra omnia, ipse extra omnia; manet supra omnia, ipse infra omnia, ut pulchrè dicit Gregorius.

XLV.

Habet igitur in quolibet loco omnia sine locali consideratione sibi plusquam præsentissima, quia omnia coram ipso & coram dextra Dei sunt instar puncti, & instar pulvisculi stateræ.

XLVI.

Sicut igitur dextra Dei tota est in carne, sibi personaliter unita: ita quoque caro sedens ad dextram Dei (quia nusquam à divinitate separari potest) eo modo, quo est intra dextram Dei per unionem personalem ἀδιαίρετον καὶ ἀδιάσπαστον, non continetur, non subicitur, non mensuratur, non comprehenditur à creaturis, sed potius imperscrutabili & ineffabili modo continet, comprehendit, subjectas sibi habet, & in manibus suis gerit universas creaturas.

XLVII.

Extra carnem (ratione personalis subsistentiæ) nullibi vel cogitari saltem potest Λόγος, quin ἀδιαίρετος & inseparabiliter ac indivisè & intimè sibi eam præsentissimam, atque (citra tamen omnem locorum considerationem) conjunctam habeat: licet interim, quando Humana natura physicâ locatione erat alibi, non fuerit ita localiter ibi circumscripta τῷ λόγῳ Deitas locatione Physicâ, sicut humana natura circumscripta erat.

XLVIII.

Etsi autem Filius Dei intra eum locum, ubi naturaliter Humanitas versatur, ita non est conclusus, quin cæteris in mundo creaturis etiam adsit; tamen ratione personalitatis, ut loquuntur, nullibi est Λόγος extra suam carnem per quandam διάσπασιν absens.

B 2

Potest

XLIX.

Potest igitur Christus sine omni descensu è cœlo, sine transelementatione, sine inclusione, sine locali assistentiâ, inexistentiâ, coexistentia, sine locali ingressu in ora hominum, & sine aliis crassis externis modis, in cœnâ præstare, quod promisit. Corpus enim, quod nobis promittit, est personaliter, ἀδιαιρέτως ἢ ἀδιασάρτως unitum Filio Dei.

L.

Simili ratione in primâ cœnâ sine omni locali, visibili, aut invisibili motu, Apostolis localiter circa mensam à sese invicem & ab ipsius Christi carne, in certo loco constitutâ, separatis, nihilominus eandem carnem dispensavit, quod facere non potuisset, nisi cum Deo Verbo corpus personaliter unitum habuisset.

LI.

Obiectio
ex Luthero.

Etsi autem Lutherus in parvâ & ultimâ sua confessione Christi corpus definitivè in cœnâ esse docuit, tamen ibidem sese ipsum explicat, quod vocabula definitivè & certè pro æquipollentibus accipiat, & illud sibi velit, quod non generali, sed speciali præsentia (qua sese Sacramentis liberrimè alligavit) in cœnâ nobis sese Christus communicet.

LII.

Etsi enim in VERBO seu DEO pro modo dextræ Dei præsentissima est omnibus creaturis caro ipsius, tamen non potes ipsius definitivè & certè seu specialiter particeps fieri, nisi in verbo & Sacramentis, juxta eum modum, quo sese in verbo & Sacramentis totum affuturum esse Christus promisit.

LIII.

II. De unionem sacramentali.

His ita præmissis, ulterius quæri solet, qualis nam fiat unio panis & corporis, vini & sanguinis Christi, id est, qualis sit unio Sacramentalis.

LIV.

Pontificii per Sacramentalem unionem intelligunt trans-



transsubstantiationem, quæ nihil est aliud, quàm Capernaïtica & crassa confusio corporis & sanguinis cum speciebus panis & vini, quâ etiam extra usum, cùm asservatur in pixide, & ostenditur in processionibus, sentiunt re ipsa sub nudâ panis specie adesse, reservari, circumgestari, demonstrari & adorari corpus Christi.

L V.

Id quod non indiget laboriosa refutatione, cùm multis modis se ipsum evertat.

L V I.

Panem enim manere panem, simili modo vinum non transformari mutatione aliquâ essentiali in sanguinẽ Christi, tum sapor, tum ipsa visibilis quantitas, & reliqua accidentia essentialia palàm testatum faciunt.

L V I I.

Diutiùs asservatus panis talis computrescit, & vermiculos ex sese gignit, vinum verò acescit, id quod glorioso & immortalis corpori Christi, nec sine impudentiâ, nec sine blasphemiâ, affingi posset.

L V I I I.

Calviniani & Sacramentarii unionem Sacramentalem definiunt talem unionem, ubi tantùm nomina signatarum rerum tribuuntur symbolis, propter aliquam similitudinem, ita ut interim signata res cum symbolis nullo modo realiter & verè sint presentes.

L I X.

Sed hanc definitionem perperam arripere consequens, & negligere antecedens, vel hinc elucescit, quòd oporteat causam aliquam subesse, cur, ut loquuntur, symbolis sæpe numero appellationes rerum signatarum attribuantur. Dici enim de aliquo requirit inesse, juxta scholarum notissimam regulam.

B 3

Ponere

L X.

Ponere igitur unionis Sacramentalis vim in hoc, quòd sicut panis alit corpus, ita caro Christi nutriat animam, revera nihil est aliud, quàm similitudinem quandam inter panem & carnem Christi proferre.

L X I.

Inter similia autem prorsus nullam intercedere unionem, sed externam tantummodo collationem spectari, ratio ipsa dicitur.

L X II.

Verissima Sacramentalis unionis in cœnâ Domini descriptio est, quòd ex virtute divinæ Institutionis & promissionis, non extra usum, sed in ipsâ sumptione, panis & vinum non sine corpore & sanguine Christi, nec corpus & sanguis sine pane & vino, sed interveniente pane & vino, tanquam mediis communicantibus seu exhibentibus, conjunctim & indivisè (tâ sine distractione quàm sine physica confusione) ipsum corpus Domini manducatur, & ipse sanguis Domini bibitur.

L X III.

Cùm enim Paulus dicat, I. Cor. 10. panem in actu sumptionis manducatum, esse communicationem corporis Christi, & vinum in actu cœnæ gustatum, esse communicationem sanguinis Christi, manifestè sequitur, fieri unionem aliquam panis & corporis, vini & sanguinis Christi.

L X IV.

Vt autem physicam & localem unionem, ita quoque imaginariam & nudè tropicam, vel scheticam rejicimus; & retinemus veram & realem quidem, sed tamen mysticam & Sacramentalem, qua cum parte terrenâ nobis datur cœlestis pars Sacramenti.

L X V.

Verba enim Institutionis cœnæ non tantùm fide recordari Christum corporaliter in cœlo longissimè à terrâ absen-

absentem, sed etiam panem & vinum accipere jubent, & hæc sumentes in his terris, verum corpus & sanguinem Christi sumere affirmant.

LXVI.

Hæc duarum rerum diversissimarum unio non dependet ex vi ejus recitationis verborum coenæ Domini, quæ fit per ministrum verbi, unde nec inter recitationem ante sumtionem aliqua panis & corporis, vini & sanguinis Christi copulatio fieri cogitabitur.

LXVII.

Sed ipsa unicè institutioni Christi, & verbis ejus ab ipsomet semel pronunciatis (quorum virtus in Sacramento durat semper) accepta referri debet, ad quod verbum & Institutum Christi per recitationem verborum coenæ animi Christianorum eriguntur & revocantur.

LXVIII.

Quapropter id, quod vel per incuriam effunditur, vel per impedimentum aliud interveniens à communicantibus non sumitur, sed reservatur, & putrescit, nec ullam habet rationem Sacramenti, nec sibi realiter unitum corpus & sanguinem Christi, quia extra usum non est Sacramentum.

LXIX.

Propter hanc corporis & sanguinis Domini cum pane & vino in ipsâ actione in coenâ Domini hîc in terris celebratâ, veram & realem præsentiam, etiam Patrum exemplo indifferenter utimur aliis æquipollentibus phrasibus, & dicimus, corpus Christi esse in, sub, & cum Pane.

LXX.

Etsi autem has quidem phrasas exagitant Calviniani, tamen sancta scriptura iisdem oculis in similibus sententiis sine omni localis inclusionis superstitione utitur, dum inquit:

quit, Christum & Spiritum sanctum habitare in cordibus nostris, Ephes. 3. Rom. 8. 2. Tim. 1.

LXXI.

Itaque & nos veram presentiam carnis & sanguinis Domini cum pane & vino in coenâ sacrâ expressuri, juxta scripturæ & patrum exempla, sano sensu, sine omni superstitionisâ inclusione, vel coexistentia, vel inexistentiâ, vel ingressu locali in ora communicantium, vel etiam transelementatione idem facimus.

LXXII.

ἀντίθεσις,
I. De modo manducationis.

Postquam igitur in coenâ Domini, hîc in terris ritè juxta Institutionem Christi celebratâ, duo simul panem & vinum, deinde corpus & sanguinem Domini, unâ & indivisiâ communicatione, & quidem certissimè dari constat: deinceps videndum est, quomodo illorum participes reddamur.

LXXIII.

Ac sicut de modo presentia, ita quoque de modo manducationis sine expresso Dei verbo quicquam statuerè vel credere nobis non licet.

LXXIV.

Cùm autem illud, quod Christus dicit esse suum corpus, & quod dicit esse suum sanguinem, ore comedere, & ore quoque bibere jubeamur; simplici quidem, sed tamen necessariâ consequentiâ colligimus, ore comedi corpus Domini, & ore quoque bibi sanguinem ipsius.

LXXV.

Et hic solus fuit scopus, & hæc intentio Domini nostri Iesu Christi, instituere epulum & manducationem non panis & vini, sed corporis & sanguinis sui, ad quod tamen opus erat medio terreno, pane nimirum & vino: non aliter ac cùm super Apostolos effundere Spiritum sanctum vellet, halitu

halitu oris corporeo interveniente, usus fuisse scribitur Io-
han. 20.

LXXVI.

Cum halitu seu flatu seu emissionem spiritus corporalis ex pectore Christi revera simul fuit ipse Spiritus sanctus, persona tertia divinitatis, juxta illud: Effundam de spiritu meo; adeo ut hæc verba Christi: Accipite Spiritum sanctum; non de solo corporeo flatu, sed omnino de arcanâ communicatione & reali effusione Spiritus sancti interpretari necessum haberent.

LXXVII

Simili modo, quia Christus nos jubet **COMEDERE** corpus, & **BIBERE** sanguinem suum: omnino cum pane corpus verè manducari, & cum vino sanguinem verè bibi, quòd symbola signatis realiter & verè, sed sacramentaliter tamen conjuncta esse necesse sit, statuendum est.

LXXVIII.

Capernaiticam manducationem corporis Christi, quâ corpus Domini crasso modo in os ingereretur, dentibusque contritum masticaretur, & in alvum deiceretur, toto pectore execramur.

LXXIX.

Hoc epulum Christianorum non est commune & domesticum, sed mysticum & Sacramentale, unde realem manducationem & bibitionem non physicam, sed mysticam & Sacramentalem agnoscimus, quâ utrumque quidem ore accipitur, sed solum terrenum terreno modo, corpus & sanguis Domini tanquam cœleste bonum, modo cœlesti atque mystico.

LXXX.

Mysticam enim illam oralem manducationem & bibitionem etsi realem & verissimam non statuere non possumus, moti clarissimis Domini nostri Iesu Christi verbis: tamen eam etiam non aliunde, nisi ex solâ naturâ copulationis Sacramentalis æstimare & explicare debemus.

C

Non

LXXXI.

Non est naturalis aut physica conjunctio symbolorum cum coelestibus donis, unde nec modus percipiendi ore dona ista est physicus, & crassus, & naturalis, sed verus quidem; attamen mysticus.

LXXXII.

Distinctè autem illa sua dona coelestia nobis distribuit Christus, usus ministerio sacerdotum, ut cum pane corpus, non simul sanguinem, & cum vino sanguinem, non simul corpus nobis exhibeat.

LXXXIII.

Idque facit ex liberrima dispensatione & voluntate beneplaciti sui, modo ipsi bene cognito, quia hæc manducatio & bibitio non est physica, sed sacramentalis, & fit sine omni physica & reali separatione sanguinis à corpore, vel corporis à sanguine.

LXXXIV.

Cumque locali quadam coexistentia corporis in pane Sacramentalem unionem definire non possimus, utique nec locum relinquere solemus Pontificiorum illi concomitantia, quasi cum pane principaliter exhibeatur corpus, & minus principaliter sanguis.

LXXXV.

Nobis sufficit auctoritas Christi testatoris, dicentis, cum pane sacramentaliter, non crassa separatione, dari corpus, cum vino sanguinem, quia, ut inquit Bernhardus: Sacramentum Dei altissimi est suscipiendum, non discutiendum, venerandum, non dijudicandum, fide sortitum, non innatum, traditione sancitum, non adinventum ratione.

LXXXVI.

Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integram se præbet singulis, inquit Hieronymus.

Constat

LXXXVII.

Constat hæc sententia de orali manducatione corporis Christi testimoniis totius antiquitatis, quæ manifestè distinguit inter essentiam & inter salubrem efficientiam, ut in primis loquitur Gregorius.

LXXXVIII.

Eriam quàm optimè congruit illa cum Apostolo Paulo, qui non dicit, fidem esse communicationem corporis Christi, sed expressè panem ita vocat, ut apertissimè pateat, eos, qui panem cœnæ manducant ore, etiam accipiant vel manducant ore corpus Christi.

LXXXIX.

Fides hominum ut non potest immutare, ita nec etiam efficere hoc Sacramentum, quod unicè & integrum dependet à testatore Christo.

XC.

Sic cum voce verbi Dei prædicati, tanquam cum re terrenâ, conjungitur cœleste bonum, remissio peccatorum, Spiritus sanctus, gratia Dei, & vita æterna, ex ordinatione divinâ, & utrumque bonum audiunt, quotquot vocem verbi audiunt.

XCI.

Sicut autem increduli seipso privant virtute tantè boni, auditi quidem, sed non gustati, spiritualiter: ita omnes accipiunt ex divinâ dispensatione corpus & sanguinem Christi cum pane & vino, sed tamen non cum pari fructu.

XCI.

Sacramentum enim est ordinatio divina, & per se, non habito respectu sumentium, constat symbolis & donis cœlestibus, ita ut percipiens Sacramentum ore, sine dubio integrum, id est, non nudum panem & vinum, sed præterea etiam corpus & sanguinem, ex naturâ & virtute Sacramenti, ore percipiat.

XCIII.

Et si verò ad salutarem usum cœnæ Domini omnino requiritur accipientium fides : tamen ut spiritualis illa & salutaris manducatio manifestissimè distingui posset ab orali perceptione, gravi de consilio in verbis Institutionis, circa solennem exhibitionis formulam, nullam fidei mentionem factam esse videmus.

XCIV.

Vtq; plenius innotesceret, Christum in Institutione cœnæ principaliter ordinasse manducationem corporis & sanguinis cum pane & vino, nec principaliter intelligenda esse verba **E D E N D I** & **B I B E N D I** de symbolis : iccirco sacra scriptura non tantum ante, sed etiam post peractam manducationem & bibitionem oralem, atque ita post acceptum corpus & sanguinem Christi, discipulos bibisse, non credidisse dicit.

XC V.

Longè igitur aliud est manducatio Sacramentalis, quâ in legitimo usu propter Sacramentalem unionem percipiens panem, simul percipit corpus Christi unâ manducatione, aliud verò manducatio spiritualis, quâ per veram fidem beneficia Christi apprehenduntur & applicantur.

XC VI.

Nam sicut vires corporis non reficiuntur, nisi pane naturali bene digesto, ita nisi fide verâ corpus & sanguinem Christi, omniâque ipsius beneficia in nostros usus converterimus, manducatio & bibitio oralis nihil quicquam nobis prodesse poterit.

XC VII.

Cum enim Sacramenta sint sigilla & confirmationes gratiæ Dei, & remissionis peccatorum, omnino necessarium est, hæc beneficia esse ab essentiâ Sacramentorum distincta.

XC VIII.

Et hæc beneficia nemo percipit, nisi qui dignè accedit,
verâ

verâ fide (licet quandoque infirma) præditus, verè poenitentiam agens, & persistens in bono proposito cum ardenti invocatione & fiducia in Christum Mediatorem directa.

X C I X.

Ex ILLIS, quæ de modo præsentia, & de modo manducationis corporis Christi breviter dicta sunt, suâ sponte sequitur, quid de indignorum, ut vocant, manducatione sit sentiendum.

II. De manducatione indignorum.

C.

Apostolus I. Cor. II. disertis verbis fatetur, multos in cœna fieri reos corporis & sanguinis Christi, id quod non posset fieri, nisi per modum realis manducationis & bibitionis violarent corpus & sanguinem Christi.

C I.

Sunt alii modi, quibus redduntur homines rei corporis & sanguinis Christi, extra cœnam. Verùm hoc loco subjecta materia, quæ est concio non de generalibus peccatis, sed de incredulitate & profanitate in cœnâ Domini, evincit, in cœnæ participatione multos fieri reos corporis & sanguinis Domini.

C II.

Sicut enim Filium Dei conculeant, & sanguinem fœderis profanant, & Spiritum gratiæ contumeliâ afficiunt, qui comparatam ex auditu cognitionem veritatis abjiciunt, & peccatis novis sese contaminant: ita qui corporis & sanguinis Domini sacramentaliter & realiter participes evadunt, & tamen, peccatis mancipati vera fide Christo adherescere nolunt, corporis & sanguinis Christi horribili reatu tenentur.

C III.

Eodem pacto Euangelii bonum nuntium per aures ad animam usque ingrediens, nihilominus impiis fit odor

C 3

mortis

mortis ad mortem, quòd virtutem Euangelii non perpendunt, & sibi metipsis applicant.

CIV.

Verissimum quidem est, corpus & sanguinem Christi tanquam Filii Dei, semper & ubique vivificandi virtute pollere: sed tamen Christus neminem vivificat ex tali necessitate, qualis est in agentibus naturalibus, ut cum Solis calor non potest non uvas immaturas coquere, & amplius digerere, verum ex voluntaria dispensatione illis tantum prodest, à quibus fidei instrumento, divinitus ad hanc rem deputato, apprehenditur.

CV.

Etsi igitur Iudas quoque in coenà Dominicà corporis & sanguinis Domini verè & realiter factus fuit particeps unà cum reliquis discipulis: tamen hoc non tantum ipsi non profuit, verum etiam tum fide verà, tum bono proposito perseverandi in pietate, destituito, nimium quantum in æternum obfuit.

CVI.

Hoc ipsum tum ad revocandos impios intra cancellos pietatis, tum ad pios diligentius exuscitandos, & ad hoc mysterium cum majori reverentià tractandum, vehementer conducere, nemo est, qui non intelligat.

CVII.

Indignè manducant, qui sine verà fide & poenitentia, & sine proposito perseverandi in pietate & iustitia accedunt, & qui perseverant in carnali securitate, & in manifestis delictis contra conscientiam.

CVIII.

Tales etiam sunt illi, qui ex consuetudine & specie externà pietatis ad hanc mensam veniunt, aut aliis modis
&

& abusibus hoc sacrosanctum epulum pervertunt, in quo
sibi non misericordiam, sed iudicium rectè manducant.

CIX.

Sed hæc de duobus præcipuis capitibus, in mysterio
coenæ Dominicæ, quæ sunt δόσις ἢ λῆψις, dicta sufficiant.

F I N I S



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Wh 1235.

80

f

ULB Halle

3

002 819 279



an 31 nur verknüpft JA → OL
f1-5 # 40 Stück
f23

VD 17 Me




...m ... **Die** ...

... **die** ...

...m ... **die** ...

de





XVII.
DE COENA DO-
MINI

THESES

DE QVIBVS PVBLICA DISPVTATIO
instituetur in Academia VVitebergensi
A. D. 1x Junii, loco consueto, horis
matutinis,

PRÆSIDE

WOLFGANGO FRANZIO, PLAUENSI,
SS: Theologiae Licentiato,

Respondente

M. SALOMONE BLECHSCHMID, CURIENSIS
Voitlandis.



VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii
M. D. XCVIII.

